



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

35. de donorum quorundam differentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

Vgust. dicit timorem castum esse æternum, sed nō habebit omnē illum vsum, quē modo habet. faciet enim tunc nos reuereri Deum, non timere separati vel caret. Fuit ergo & in Christo timor ille, sed iuxta vsum illam, quem in futurum habebit in sanctis. Non enim timuit Christus separari, vel offendere Deum: sed Deum præ omnibus reueritus est.

## DE DONIS IN SPECIALI.

DISTINCT. Trigesimæquintæ  
CAP. Primum.

*Donum sapientiae & scientiae  
distinguuntur.*

*P*ost præmissa diligenter considerandū lib. 14, in quo differat sapientia à scientia. De hoc Aug. ita ait: Philosophi disputantes de mī. de sapientia, definierunt eam, dicentes: Sapientia est rerum diuinarum humanarūque scien- cap. I. tia. Ego quoque vtrarūque rerum cognitio- nem, id est diuinarū & humanarū & sapien- tiam & scientiam dici posse non nego. Verū iuxta distinctionem Apost. quā dixit, Alij da- tur sermo sapientiæ, alijs sermo scientiæ. illa definitio diuidenda est, vt teruni diuinarū cognitio, sapientia propriè nuncupetur: hu- manarū verò, propriè nomen obtineat scien- tiæ. Neq; verò quicquid sciri ab homine po- test in rebus humanis, vbi plurimū superua-

cuæ vanitatis, & noxiæ curiositatis est; huic scientiæ tribuo: sed illud tantum quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinē dicit, gignitur, nutritur, defeditur, roboratur: qua scientia non possunt plurimi, quāvis ipsa fide polleant plurimum. Aliud est enim sci-  
re quid homo tantummodo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam: aliud est seire quomodo hoc ipsum & piis opitu-  
letur, vel contra impios defendatur: quæ prō-  
prio vocabulo appellatur scientia. De diffe-  
rentia harum duarum virtutum idem Aug.  
Ench. sup. Psal. & lib. 12. de Trini. Distat ab æter-  
norum contemplatione actio quæ bene vi-  
lib. de mur temporalibus rebus: & illa sapientiæ,  
Tri. 12 hæc scientiæ deputatur.


*C. 14 CAP. Secundum. Differunt sapien-  
tia & intellectus.*

**I**N hoc differunt illa duo, quia sapientia est propriæ de æternis, quæ veritati æternæ cō-  
templandæ intendit. Intelligētia vero nō modo de æternis est, sed etiam de rebus in-  
uisibilibus, & spiritualibus temporaliter ex-  
ortis. In hoc ergo differētia est, quia sapientia  
creator tantum conspicitur: intellectu vero  
creator & creatura quædam. Sic ergo di-  
stingui potest inter sapientiam, scientiam, &  
intellectū. Scientia enī valet ad rerū tēpora-  
liū rectā administrationē, & ad bonā inter-

DD. iiiij

*Bonitatis  
Sagittaria.*

malos conversationem. Intelligentia vero ad creatoris & creaturarum inuisibiliū speculationem, Sapientia vero ad solius veritatis æternæ contemplationem & delectationem. Aduerendum tamen quod intellectus & sciētia, quæ dicuntur dona Spiritus san. alia sunt ab intellectu & scientia, quæ naturaliter sunt in anima hominis: quia per illas virtutes, quæ dicuntur dona Spiritus san. naturalia reformantur atque adiuuantur.



*De connexione habi-  
tuum gra-  
tuitorum.*

### DE CONNEXIONE

*virtutum.*

*in dist. in oct.*

*Trigesimæ sextæ*

*CAP. Primum.*

*Omnis virtus sunt connexæ.*

**S**oleat etiam quæri, vtrū virtutes sibi hærent: ut qui vna caruerit, oībus careat. *in Es. 56.*  
De hoc etiam Hiero. ait: Qui ergo vnam habet, omnes habet. Quod quidē probabile est, Cūm euim charitas mater sit omnium virtutum, in quo cunque mater ipsa est, scil. charitas, & cuncti filii eius, id est virtutes rectè fore credūtur. Vnde Aug. Vbi charitas est, quid est quod possit deesse? Vbi aut̄ 83, non est, quid est quod possit prodeficere? Cur ergo nō dicimus, Qui hanc habet virtutem, omnes habet, cū plenitudo legis sit charitas, quæ quanto magis est in homine, tanto ma-

*~ 202. 1*